3 1761 06978700 0

Koffmane, Gustav
De Mario Victorino
philosopho christiano

DE

MARIO VICTORINO

PHILOSOPHO CHRISTIANO.

DISSERTATIONEM HISTORICO-THEOLOGICAM

AD

LICENTIATI IN THEOLOGIA HONORES

RITE OBTINENDOS

UNA CUM SENTENTIIS ADNEXIS

AUCTORITATE

REVERENDISSIMI ORDINIS THEOLOG. EVGL.

IN

LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

IN AULA MINORE, HORA XI.

DIE VII. JANUAR. A. MDCCCLXXX

PUBLICE DEFENDET

GUSTAVUS KOFFMANE

BEROLSTADIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTIBUS FUNGENTUR

OSCAR RUNGE
V. DIV. MIN.

GOTTHOLD HOHENTHAL
PASTOR.

VRATISLAVIAE A. MDCCCLXXX.
TYPIS EXPR. H. LINDNER.

LIBRARY
MAY 19 1930
TORONTO

BR
1720
V47K6

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/demariovictorino00koff

Nostri saeculi homines in vitis eorum, qui historiae partes egerunt secundarias, per peculiares libros conscribendis ita versari solent, ut non immerito vir quidam criticus nuper hanc fere censuram tulerit: quando vitam personae minus praeclarae tot paginis descriptam legerit, ob oculos sibi constitisse statuam exilem ingenti super basi constructam. Idemne nunc diverticulum ingredior de Mario Victorino disputaturus? Historiam conversionis eius nos non tanti ducimus, quanti saeculi IV Christiani. Sed convertit se ad Christianismum philosophus inter omnes quotquot tunc in occidente fuerunt haud scio an princeps. Qui novae religionis assecla factus ut antea philosophicos ita tunc Christianos libros impigro stilo exaravit. Non exuit omnem paganitatem; dilucide igitur illa opuscula docent, quatenus Romanorum passim in Christiana castra transeuntium animi inter ethnica atque Christiana placita versati sint. At Victorinus, ut philosophum decet, in circumscribendo systemate theologiae suae desudat; ecce tres inter se colluctantes cogitandi normae: gentilis rhetor Romanus, qui in commentariis biblicis Vergilium citet et res mythologicas afferat; senex Christianus quem non fugiat ethica novae religionis gravitas, qui gaudeat legere scripturam sacram; philosophus, qui theologiam vere scientificam fundamentis philosophicis superstruere nitatur, qui dogmaticas illius temporis contentiones intellegere studeat. Adde quod scripta Nostri intellectu tam difficilia sunt, ut in enucleandis sensibus obscuris atque perplexis operarii vice fungi non infima laus sit.

CAP. I.

De Victorini vita.

Non multa sunt, quae antiquitatis fontes nobis de Victorini vita suppeditant. C. Marium Victorinum [1]) natione Afrum fuisse et codices [2]) et Hieronymus [3]) probant. Africa saec. I—IV. in usum totius occidentis illustres tulit rhetores [4]). Natus videtur esse circa a. CCC., ut ex his argumentis conici potest: Qui aetate iam provectus Christianum se confessus sit, [5]) quem Hieronymus [6]) a. 354 Romae insignem fuisse tradat, necesse est eum ineunte saeculo quarto natum esse; ipse in libro grammatico, quem gentilis composuit [7]) „nostra quoque, inquit, memoria Lactantius etc.“ Quo procreatus sit parente, quibus usus magistris, qua schola, testes silent; veri simile est in Africa, ubi rhetorice florebat, iuveniles vires exercitatas esse. A persona rhetoris sive grammatici studia philosophica tunc minime aliena erant. Romam igitur ubi transmigravit, totum se dedidit philosophiae. Hac in urbe ex temporibus Plotini atque Porphyrii multi versabantur Neoplatonici. Sed quom alii natione Graeci essent, alii graecisarent, Noster in eorum numero fuit, qui philos. opera Graeca in Italam linguam vertenda sibi susciperent. Neque Platonis modo, ut Chalcidius fecit, [8]) sed etiam Aristotelis aliquot opera interpretatus esse videtur. Augustin. confess. VIII, 2 „quosdam libros Platonicorum quos Victorinus — — in Latinam linguam transtulisset“ fortasse inter alios respicit Victorini interpretationem isagoges Porphyrianae

---

1) Nomen Fabii codices quantum ego sciam non prae se ferunt. Grammatica quaedam scripta Nostro merito abiudicata id commiserunt, cfr. Teuffel, hist. litt. Rom. § 408, 4—6.

2) Ut antiquissimos nominem, Bernensis, St. Galli, Middlehillenses.

3) Hieronym. vir. inlustr. 101.

4) Juvenal. VII, 147 Inscr. Lat. III nro. 2127 a. nomino Frontonem, Arnobium, Lactantium.

5) Augustin. confess. VIII, 2—4.

6) in chronic. ad a. 2370 = p. Chr. 354.

7) de hexametro, ap. Keil, gramm. latin. VI. p. 209.

8) Chalcidii interpretatio atque comment. in Platonis Timaeum ed. Wrobel, Lips. 1877.

in Aristotelis categorias. [1]) Magis se Aristotelis sectatorem quam Platonicorum eo prodit, quod spreta tali theosophica abundantia quali inter Neoplatonicos tunc gaudebat Firmicus Maternus [2]) in primis dialecticis quaestionibus studet. Scripsit „de syllogismis hypotheticis" (Cassiodor. dialect. et Isidor. orig. II. 28, 25) et in scriptis cum grammaticis tum theologicis tam praecisis acutis definitionibus atque syllogismis utitur, ut lector saepe sibi super novaculam ire videatur.

Quanto provehebatur aetate, tanto diligentius ad fines scientiae philosophicae accessit. Erat enim in eorum numero, quibus philosophia tamquam pons esset, super quem in novam religionem transgrederentur. cfr. Augustin. ad Discur. ep. 118 „Plotini schola Romae floruit habuitque condiscipulos multos, acutissimos et sollertissimos viros. Sed aliqui eorum magicarum artium curiositate depravati sunt, aliqui dom. Jes. Chr. ipsius veritatis — — quam conabantur attingere, cognoscentes gestare personam in eius militiam transierunt." Qua via quomodo sensim propius ad Christianismum — si ita dici potest — accesserit, dolemus, quod non liqueat. Constat tamen Christianorum in dies crescenti multitudine, auctoritate, sincera vita, operibus eleemosynae, ritibus etc. minus eum motum esse quam magisteriis quibus acquievit, ratus ibi summam subesse doctrinam quam philosophi balbutissent. Legebat [3]) sanctam scripturam, omnes Christianas litteras investigabat studiosissime et perscrutabatur, colloquebatur cum Simpliciano, [4]) quem familiarissime noverat, abstinebat tamen a conventiculis. Imo confessus se iam paene esse Christianum cohortantem Simplicianum, ut prodiret in ecclesiam, interrogavit, num parietes facerent Christianum. Fuit profecto satis difficile rhetorem qui tot nobiles

---

[1]) Quam interpretationem iterum commentatus est Boethius. Caeterum his de rebus cfr. Prantl, hist. logices occident. I p. 660 sq.

[2]) Julii Firmic. Mat. mathes. I. 2 imo per totum opus Neoplatonismum confitetur.

[3]) Ita narrat Augustino confess. VIII, 2 Simplicianus.

[4]) Hic operam dabat ut disputando et docendo imprimis nobilia, docta, philosophica ingenia ad sua dogmata traheret. Ambros. epist. 65, 1 „cum fidei et acquirendae cognitionis divinae gratia totum orbem peragraveris et quotidianae lectioni — — omne vitae tempus deputaveris acri ingenio etiam intelligibilia complectens utpote qui etiam philosophiae libros, quam a vero sint devii demonstrare soleas etc. Simplicianum non aliter cum Victorino censeo collocutum esse quam cum ipso Ambrosius, cfr. Ambros. ep. 37, 37 (liber sapiens); 38, 1 (sapiens etiam dives); 37, 36 sq.

senatores docuisset, qui inter philosophos magnus putaretur, cuius in honorem statua in foro Traiano staret [1]) vita paene exacta ad illos homunciones superstitionis incusatos accedere; accessisset tamen, si praeter dogmata aliud quid animo satisfecisset. Fortasse ut volgus paganum ita etiam rudem Christianum contemnebat, quum non religionem sibi veram quaereret sed scientiam. Vicit tandem veritas quam in dies magis hauriebat lectione sacra. Deposita verecundia publice professus est Christianismum; obstipefacti steterunt Romani, laetabantur Christiani. Factum est imperante Constantio. Nam c. Arium II, 9 „Probatum illud, inquit, ab imperatore imperatoris nostri patre.“ Id quod in Julianum vix cadit, retento sensu proprio vocis patris. Christianus fuit, quom edictum Julianus proponeret, ne quis magister rhetoricus aut grammaticus ritus Christiani cultor doceret, id quod a. 362 promulgatum est. [2]) Quo audito Victorinus scholae auditorio valedixit. [3]) Otiosus igitur tempore usus est ad scientiam Christianam penitus percipiendam atque componendos libros et exegetici generis et polemici contra Manichaeos Arianosque. Nec tamen ipse descendit in campos conciliorum. Mansit enim laicus id quod nemo, qui huius viri conversionem perlegerit, mirabitur. In nullo codice nomini Victorini adicitur titulus clerici, et quod Cassiodorius (de institut. divina) Victorinum dicit „ex rhetore episcopum“ testimonium est duobus saeculis minoris viri atque Victorinum episcopum Pictabionensem cum rhetore fortasse confundentis.

Reliquos deinde aetatis annos Noster Romae emensus est occupatus semper legendo et scribendo. Scripsit circiter XVI opera theologica quorum dimidia pars ad nostram pervenit memoriam. Quo librorum numero tamenetsi omnia scripta quandam festinantis stili notam prae se ferunt, effici tamen potest, Nostrum complures annos superfuisse postquam baptismum accepit. An inter vivos fuerit quom Hieronymus adversum Jovinianum scripsit ambiguum est. Neque enim cum Martianaeo atque Vallarsio [4])

---

[1]) Hieronym. chronic. ann. laud.

[2]) Ita edicti verba interpretor Ammian. 22, 10, 7 cfr. 25, 4, 20.

[3]) Augustin. confess. VIII, 5 Juliani temporibus lege data prohibiti sunt Christiani docere literaturam et oratoriam, quam legem ille amplexus scholam deserere maluit etc.

[4]) Hieronym. op. ed. Martianay tom. IV p. 229; ed. Vallarsi I p. 210:

nomen Victorini omittere neque contra codicum testimonium retinere ausim. At usque ad hunc diem de codicibus Hieronymianis diiudicari non potest.

Magis perspicua nobis vita Victorini pateret, si in libris suis de se mentionem fecisset. Quod nusquam deprehendimus. Sed iam aggrediamur ad opera Nostri.

CAP. II.

VICTORINI OPERA.

Nihil ad nos pertinere censeo de iis libris, quos Marius ethnicus conscripsit, verba facere. Satis erit studiosum eius rei lectorem ablegasse ad Teuffel, hist. lit. Rom. § 408 et Keil, grammat. Latin. vol. VI. Praeter haec grammatica scripta commentarios in Ciceronis dialogos [1]) commemorat Hieronym. apol. c. Rufin. I, 16, qui perierunt simul cum libro de syllogismis hypotheticis. Etiam illi libri Platonicorum, quos de Graeco in Latinum transtulit, iniuriam temporum passi sunt. Una interpretatio isagoges Porphyrianae in Aristotelis categorias e Boëthii commentariis restitui potest. Et hac interpretatione et aliis terminis technicis logices per primam partem medii aevi haud mediocris momenti Noster fuit. [2])

§ 2. OPERA THEOLOGICA servato temporis ordine haec sunt:

1. Contra Manichaeos primum scripsit ad Justinum Manichaeum contra duo principia Manichaeorum et de vera carne Christi. Qui primus ex codice Herevallensi edidit Sirmondus effinxit hunc titulum; acephalum reperies in codicibus Vaticano et Ottobonianis. Hieronymus in catalogo libri mentionem facit nullam. Nec tamen est, cur de Victorino auctore dubitemus: si enim ex stili indole argumentum repeti licet, Nostri dictio tam

---

„cur piaculum vocis huius Roma audire non potuit?“ veteres editiones„ cur — — Romae Victorinus audire non potuit?“ Certo de nostro Victorino cogitandum esset.

[1]) Commentarii in Ciceronis rhetorica (Ciceron. ed. Orelli V, 1 sq. Halm, rhetor. lat. minor. p. 153 sq.) Quinti Fabii Laurentii cuiusdam non Nostri sunt.

[2]) cfr. Prantl, histor. logic. I p. 661 sq. Nos infra saepe Victorini philosophas distinctiones, definitiones, conclusiones in medium proferentes viri acutum ingenium praedicabimus.

singularis, obscura, novis vocabulis tumens a caeterorum valde dissonat, ita ut Victorini scripta facile dignosci possint. Ex hoc libro voces: milia miliorum c. 4, alocale (ab — locus) c. 11, incarneus c. 15, adverbium cassum = frustra c. 16, grassamen c. 16 Victorinum ferreum clamant. Et vox graeca compatio = κόμπασμα c. 5 est una ex magno numero talium vocabulorum, quae § 5 huius cap. enumerabimus. Dogmata quoque, in primis deitatis notio cum caeteris Nostri placitis congruunt, cfr. c. 11 et 16.

2. Eadem dici possunt de libro quem Sirmondus ex cod. Herevall. editum inscripsit „de verbis scripturae Factum est vespere et mane dies unus, coeperitne a vespera dies an a matutino."

3. Tertium deinde librum „de generatione divina" seu „de gener. divini verbi" omnes codices Victorino tribuunt. Est responsum Candido Ariano datum, qui de eodem argumento ad Victorinum epistulam direxerat (a codicibus praemittitur). Scatet hos opusculum argutiis dialecticis, optime illustrat notionem deitatis generantis et creantis, quam Victorinus habuerit. Plura reperies in notis cap. III.

4. Provocatus a Candido altera epistula — et hanc codices praemittunt — scripsit opus principale IV libros contra Arium ab Hieronymo [1]) commemoratos in catalogo c. 101. Qui in IV libros digessit, Victorino invito distinxit. Nam I, 48 est aperta [2]) commissura; rursus III, 18 et IV, 1 cohaerent. Caeterum hoc libros post elucubrationem de generatione divina editos [3]) esse I, 1 demonstrat „in primo sermone huius operis et multa et fortiora quaedam etiam horum, o amice Candide, proposita atque tractata abs te sunt (in Candidi de generatione divina) quae quamquam ut oportuit, dissoluta sunt etc." (i. e. in refutatorio meo!). Conscripsit hos libros anno 360 — 361 imperante Constantio, cfr. adv. Arium II, 9.

---

[1]) „Adversus Arium libros more dialectico valde obscuros, qui nisi ab eruditis non intelleguntur." Haud scio an sub hoc titulo adv. Arium etiam alia scripta subsumpserit (nro. 3. 5. atque quae non exstant).

[2]) c. Arium 1,54 „in libro, qui ante istum" respicit ad praecedentia capitula.

[3]) Quom igitur de generat. div. 31 dicat „Dictum est a nobis sufficienter — in aliis libris a quo sit progressio et descensio regressioque spir. scti. declarata est", et deinde „de iis tribus alia nobis oratio" non potest respicere ad libros suos adv. Arium in loculis retentos — nam quid ad Candidum hoc? — sed ad libros, qui ad nos non pervenerunt.

5. Quasi summulam operis permagni submisit tractatum „de homousio recipiendo“ cuius sub finem c. 4 maiorem tractatum i. e. libros adv. Arium commemorat.

6. Hymni tres de trinitate, quibus in componendis nullum metrum nullam aut assonantium vocum regulam, aut stropharum secutus est, ut orationi solutae similes sint. De Victorino auctore dubitari non potest. Praeter codices qui opus c. Arium continent, asservant duo Casinates. Quorum cod. nr. 29 fol. 348 „Victorini rhetoris in fine libri quem contra Arrianos fecit: Adesto lumen verum pater omnipotens Deus — tibi gratiarum actio in saecula sempiterna. Jtem cod. nr. 30 saec. XI fol. 181 Victorini rhetoris in fine libri quem c. Arrianos confecit“ Adesto etc. Textus ab editis saepe discrepat. Jam antea ut vides sub nomine Victorini libris huius auctoris adnexi erant, id modo in dubio relinquitur,[1]) utrum libris IV c. Arium an tractatui de homousio recip. Stilus atque dogmata dubitationem non admittunt.

Acrem scripulum submovet libellus „de physicis“ quem Angelus Maius ex duobus cod. Ottobon. uno Vatic. primus in collection. nov. III, 2 protulit. Hi tres codices Victoriniana tantum scripta exhibent, subsequitur elucubratio, de qua agitur. Sed sunt recentissimae aetatis codices, alter ex primo, tertius ex his fluxit. Qui saec. XIV. Ottob. nr. 3288a consarcinavit, fieri potuit, ut scriptis Victorini hinc illinc collectis suo iudicio fultus adderet „de physicis“. Orationis argumento uti non possumus: etsi enim voces quaedam novae atque insolitae, qualibus gaudere soleat Victorinus, ut miraculum,[2]) innativitas c. 5, impossibilitas = imbecillitas agendi = unvermoegen c. 6, item possibilitas 14—15, probamentum c. 18, assolidari, glaciari Nostri esse videntur, nihil tamen certi habeo. Doctrina huius libelli alium clamat auctorem: Victorinus addictus est doctrinae praeexistentis animae, huius tractatus c. 8 repugnat; ille peccatum repetit ex animarum corporali indumento, heic retinetur V. Test. narratio; ille animam quamdiu in mundo sit putat quasi immundam, heic. c. 14—15 de deitate

---

[1]) Quod est „in fine libri“ non librorum tamen pertinere potest ad opus maius, quod a Victorino ipso in IV libros non distinctum esse, supra suspicati sumus.

[2]) miraculum = miratio non solum Victor. de homous. recip. 4 sed etiam Ambrosiaster ad Galat. 3, 1. Heic. c. 1 lege sui miraculo = selbstbewunderung, non „vi miraculi“ cum A. Maio.

protoplasti oratio est; Victorinus Christi personam ex notione deitatis construit, tractatus de physicis tenorem biblicum servat.[1]) In Victorini genuinis operibus raro reperies allegorias, heic sunt loco argumentorum; cfr. in primis cap. 16. Librum percurrens saepe tibi homiliam quandam legere videberis. Quibus ego caussis permotus abiudicandum esse Nostro hunc tractatum censeo.

Eadem iudico de carmine in VII fratres Machabaeos quod neque Nostri neque Victorini Pectabionensis sed Hilarii Arelatensis esse viris doctis assentior.

Serius ad scribendos commentarios in epistulas Pauli se convertit. Hieronym. vir. ill. „commentarios in apostolum" quom commemoret, non satis compertum habeo, num in omnes Paulinas[2]) composuerit. Ad nostram memoriam pervenerunt commentarii in ep. ad Galatas (libri II), ad Ephesios (libri II), ad Philippenses, eadem qua nominavi serie editi, cfr. ad Philipp. 2, 6 ubi comm. in Ephes. mentio fit. Epist. ad Romanos eum commentatum esse nescio an testis sit Ambrosiaster.[3]) Saepissime proprios libros laudare Noster consuevit. Ita comment. ad Ephes. 1, 4 „de qua re et in aliis epistulis tractavimus." Item quom comment. ad Ephes. 4, 10 facta mentione doctrinae complurium coelorum pergat „de quo tractatu iam multa diximus in praeterito" quia nihil in commentariis, qui supersunt, reperitur cogitandum est, lectores revocari ad Victorini verba in II Corinth. 12, 3 sq. Codices A. Maii qui saepe lacunas habent nec tamen indicant (Phil. 1, 1—14. Galat. 5, 17 — 6, 1 desunt) videntur e mutilo archetypo descripti esse, qui fortasse quondam plura continuerat, cfr. § insequ. 3 nr. 4.

Sed dogmatica quoque alia opuscula sua citat.[4]) Comment. ad Ephes. 5, 2 „de qua re est liber, certus, hoc exponens quid

---

[1]) Apud Victorinum Christi opus est superatis affectibus corporis animas liberare; heic Christus inducitur diabolum fraude irretiens, cfr. c. 24 esuriit, ut ne (diabolus) intellegendo Deum diffugeret etc.

[2]) Apostolus = Paulus saepe apud patres Lat. cfr. Koffmane, kirchenlat. p. 12.

[3]) ad Roman. 5, 14 sic habet „(Lectiones quaedam) hodieque in latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur a veteribus posita Tertulliano Victorino et Cypriano". Victorinus Pictabionensis in apocalypsim tantum commentarios scripserat. Alius huius nominis clarus vir nusquam invenitur.

[4]) Auctor Appendicis ad Isidorum (ap. Fabricium, biblioth. ecclesiast. p. 69) „Victorinus episc. composuit versibus duo opuscula admodum bre-

spiritus sit et quam intellegentiam habeat, ut substantia eius possit intellegi.“ Erat igitur ni fallor titulus eiusmodi „de intellegentia (passive, cfr. continentia) spiritus.“ Ad Ephes. 4, 10 „Ergo passio illa Christi et resurrectio et ascensio perfectio est omnium tam in mundo quae salvari possent, quam in aeternis et super omnes coelos. Quod mysterium plenissime unius libri explicatione tractavimus.“ In libros c. Arium et de generat. divina respicit ad Ephes. 1, 4 „sed de his ac de eodem tractatu alias et pluribus explicavimus“ et 1, 21 „et in his libris (i. e. commentariis) et alibi plenius etc.“ Futuri libri, quem compositurus sit, spem praetendit ad Ephes. 4, 8 „arbitror de isto sensu (Christi opere) librum aliquem esse complendum, quem permissu Dei iam aggrediar, ut omnia necessaria ad istius modi intellegentiam liberi a necessitate interpretationis (exegeticae) valeamus implere.“ Ecce senex iuvenilis!

§ 3. Codices Victorini opera continentes hi innotuerunt:

1) Ottobonian. n. 3288a. saec. XIV.

2) Ottobon. 3288b saec. XIV ex praecedente descriptus.

3) Vatican. 3546 saec. XVI apographum e praecuntibus Praebent hi tres eodem ordine comment. in ep. ad Galatas, ad Philippenses; de verbis geneseos „factum est vespere etc.“; contra duo principia Manichaeorum (initio mutilum); comm. in ep. ad Ephesios; de physicis.

4) Cod. Herevallensis, ex quo Sirmondus primus prompsit contra Manich. et de verb. scr. „factum est vespere etc.“ Commentarii in aliquot Pauli epist. inerant. Quot, Sirmondus non prodidit. Et nos indagantes, ubi cod. nunc sit, operam perdidimus. Herenthals monasterium erat Belgicum.

5) cod. Udalrici Augustae Vindel., unde Mabillon analect. veter. IV, 115 Candidi et Vict. de generat. div. desumpsit. Fuisse videtur eiusdem aetatis atque nro 11.

6) cod. Tornacensis, membran. saec. XII vid. Pertz, archiv. VII p. 561. Exhibet post Boethii ad Eutychen, Candidi Ariani ad Mar. Victorinum rhetorem; item Marii ad Candidum i. e. opera supra nr. 3—4 § 2 nominata.

---

via. unum adv. Manichaeos — — aliud autem adv. Marcionistas etc.“ Haec Vict. Afro rhetori accenset Miraeus, quam sententiam protulisse satis habeo: refutare est chartam perdere.

7) Claromontanus in colleg. societ. Jesu cfr. Simon, critiq. de la bibliotheq. des auteurs eccles. I p. 64—66. Quot opuscula contineat, ubi nunc asservetur, cuius sit aetatis, ignotum.

8) Cod. Middlehillens. nro 1684 (460) ap. Haenel p. 849: Marii Victorini de trinit. libri IV ad Candidum. Est saec. XII.

9) Cod. Middlehill. membran. saec. XIII ineunt. ap. Haenel p. 822: Candidus Arianus ad Mar. Victorin. de generatione divina; Marinus Vict. orator ad Cand. Arian. de eodem argumento.

10) Cod. St. Galli nro 831 saec. XI qui pag. 60 sq. continet Candidi ad Victorinum de gener. div. et Victorini responsum.

11) Cod. Bernens. nr. 212 saec. IX—X fol. 1: excerptum e libro Victorini contra Candidum Arrianum.

12) Casinens. nr. 30, de quo Montfaucon, biblioth. bibliothecarum p. 221 atque tom. I bibliothecae Casinens. cfr. Reifferscheid, bibl. italica II, 376.

13) Casinensis nr. 29 fol. 348 ap. bibl. Casinens. I p. 281. Horum uterque hymnos tantum continet cfr. supra § 2 nr. 6.

Codicum Parisiensium, quos E. du Pin temporibus ibi fuisse credo — tacet Montefalconius — in recentioribus libris frustra vestigia indagavi; superesse spero.

Alios codices praetermitto verens ne eundem librum bis terve enumerem quom saepe in alia armaria transportati sint. Satis erit monuisse cod. ap. Montfaucon, biblioth. p. 186 esse Ottobonianum (nro. 1.) ibidem p. 109 Vaticanum nr. 3546 (n. 3).

§ 4. Vidisti sat magnam copiam libr. manu scriptorum superesse; sed editi ad fidem illorum minime conformati sunt. Editores acquieverunt unumquodque opus depromere; insequentes deinde patrologi recudendum curabant. Ediderunt primi: Ziegler, conc. in genesin et exod. p. 232 sq. script. nro 3, deinde ex alio codice Mabillon. — Sirmondus script. nro 1—2a. 1630. — Herold in haereseologia, Basil. 1556 p. 186 libros IV c. Arium. — Commentarios in epist. Paulinas nostro sacculo A. Mai in patrum veterum nova collectione III, 2 pag 1 sq. In bibliothec. Patrum Victorinus locum tenet in Parisiensi a. 1644 tom. IV in Lugdunensi tom. IV in Veneta tom. VIII. Palmam tulit J. P. Migne qui in patrologiae cursu tom. VIII ad recusas maculas textus inveteratas novas addidit. In commentariis praecipue sexcentos locos facile deprehendi quae emendari potuissent. Nemo philologus unquam theologi Victorini scripta curae habuit.

§ 5. Oratio Nostri est admodum abstrusa atque perplexa[1]) ita ut vix rhetoris credas; sed obscura argumenta, termini philosophici, constricti syllogismi excusant; nam in commentariis stilus multo planior est. Afrum se minus in genere dicendi prodit, quam recentiores in primis A. Maius volunt. Graecanicis vocibus aequo pluribus utitur; v. g. philonica disputatio (φιλόνεικος) factum est vesp. c. 1. — apostrophare comm. in Galat. 3, 26. — compationes = κομπάσματα c. Manich. 2. — ceryx acc. cerycem = κήρυκα[2]) generat. divin. 16. — blasphemiter c. Arium 1, 16—46. Fugiant Cicerones, audimus „praeaeternus, praecausa, praeexistentia, elucescentia, existentialitas, intelligentitas, intelligentialitas, essentitas, limitamentum, counitio, vivefacere (at crebro vivificare) et — eheu — potentificare (c. Arium 3, 7).“ Sed haec monstra, ubi posita sunt, ad argumentationem elucidandam valde videntur esse utilia.

CAP. III.

De Victorino Theologo.

Ex studiis, quibus Victorinus gentilis operam dedit, eum fructum Christianus percepit, ut ad systematicas et exegeticas quaestiones tractandas non inhabilis factus sit. Exegetae laudes pro illis temporibus non mediocres meritus est. Etsi allegoriae artibus omnino abstinere non potest[3]), minus frequenter tamen utitur, rarissime argumentandi caussa. Multis locis prae se fert sanum, ut ita dicam, sensum historicum. Quales Galatae fuerint, qualis Jacobus Hierosolymitanus, quid discordiae inter Petrum et Paulum Antiochiae, quid inter ecclesiae apostolicae et saec. IV. pastores etc. non solum bene animadvertit sed etiam libera oratione prosecutus

---

1) Ut iam Hieronymus animadvertit de vir. inlustr. 101. l. l. „qui nisi ab eruditis non intelleguntur“. —

2) Ita sec. contextum lege pro „cervicem.“

3) Allegorias invenies ad Galat. 4, 4 (de femina) ad Ephes. 1, 21 (Chr. in dextera Dei est constitutus, quia est Deus operans, operatio vero motus in dextera est) Item c. Arium 1, 8—62; ad Philipp. 2, 6. Alia eius generis (c. Arium 3, 12 = psalm. 15, 10) Victorinus a praecessoribus mutuatus est.

est.[1]) Angelus Maius saepe textui notas admonitorias et excusatorias addere coactus est.

Verborum sententias singulares prudenter explorat neque quod ad philologi curas pertinet quin secundum post Hieronymum locum teneat dubito. Codicibus ad commentarios suos conficiendos usus est et graecis et latinis; atque in vero ponderando et eligendo considerate agit. Quae res quom ita se habeant Hieronymi (prolog. in comm. ad Galat.) non assentiamur livido atque iniquo iudicio[2]). Sequentibus saeculis quod Victorius minus placuit minusve usui fuit, et uberiore oratione et inopia sensuum „moralium" factum esse mihi videtur.

§ 2. Qui Nostri vitam et mores diligenter perspexerit suspicionem fortasse movebit, ne sit in scriptis theologicis ita versatus, ut omissa scriptura sacra philosophica modo gaudeat ratiocinatione. Sed c. Arium I, „ne quis, inquit, blasphemiter intellegens meum dogma dixerit; omnia enim a sancta scriptura et dicuntur et sunt". Item de generat. div. 1 „si ut nomine sic et re Christianus est quispiam, necesse habet venerari scripturas." Ecclesiasticae vero traditioni non eatenus indulget quatenus plerique illius temporis theologi. Nusquam[3]) eam tamquam docendi normam profert. Volt theologus esse mere biblicus. Sed ipse invitus, quas a iuventute animo conceperat cogitationes et placita, Scripturae obtrudit atque argumenta e gentili doctrina repetita infert. Quantum momenti philosophia in theologiam Victorini instillaverit singulis locis indagabimus; totam enim nunc doctrinam Christianam Nostri circumscribemus.

§ 3. Theologiae vox occurrit eo sensu, ut sit dogmatice[4]) distincta a „praeceptis vivendi" i. e. ethice. Comm. in Ephes.

---

[1]) cfr. Galat. 1, 19; 2, 12 alias. Quae de singularum ecclesiarum (Ephes. Galat. Phil.) condicionibus tradit, satis probant, Victorino haud fallacem illius temporis imaginem ob oculos versatam esse.

[2]) Hieronym. l. l. „occupatus ille eruditione saecularium literarum omnino sanctas ignoravit". Arianorum et Homousiastarum certo multa scripta Noster novit, pauca affert. Origenis commentarios fortasse et aliorum manibus versavit in componendis suis. Caetera vide cap. IV.

[3]) Ad Philipp. 2, 8 „sed catholica disciplina dicit et semper fuisse patrem et filium et ita et dicendum est et intellegendum". Nec tamen anxie patrum eccles. doctrinas respicit.

[4]) Ita primus occidentis doctor latiore sensu vocis theologiae = scientiae Christianae — nam moralem scientiam esse negat — utitur.

prooem. „summa totius disciplinae semper esse debet, ut habeant cognitionem theologiae i. e. Dei, Christi, mysterii ipsius et adventus et caeterorum, quae ad eam cognitionem pertinent. Item praecepta vivendi Christianis vel omnibus vel singulis convenientia pertinent.“ Aliis verbis ad Philipp. 2, 5 „hoc ad moralem disciplinam i. e. ad vitam pertinent, illud ad scientiam — — alia ad scientiam, alia ad actus et ad vitam.“ In theologia primum locum obtinet doctrina de Deo.

§ 4. Deitatis notionem exposuit in libris c. Arium et de generatione divina. En summam: Ad consequendam divinitatis ideam fundamentis philosophicis superstruit dialecticas argumentationes. Ita etiam christologia ex deitatis notione repetitur, non ex ea quaestione, quale personae historicae Christi aeternum atque ontologicum sit fundamentum. Christologiae igitur maior pars in exprimendam trinitatis doctrinam subsumatur, necesse est. Divinitas est ternaria, non quod ternariam se manifestavit revelatione sed quia logica necessitate cogitatur. Victorinum ipsum secutus deitatis doctrinam explicare aggrediar secundum categorias existentiae, caussae, vitae, cognoscibilitatis, voluntatis.

De generat. divina c. 13 postquam exposuit quattuor formas logicas: quae vere sint, quae sint, quae non vere non sint, quae non sint, subsequitur „Eorum, quae vere non sunt, deum esse nefas est suspicari. Necessario enim Deum per praelationem et eminentiam [1]) τῶν ὄντων dicimus supra omnem existentiam, supra omnem vitam supra omnem cognoscentiam, super omne ὄν et πάντων ὄντων ὄντα; inintelligibile, infinitum, invisibile, sine intellectu insubstantiale, incognoscibile. — — quoniam supra, quae sunt, nihil de his, quae sunt; μὴ ὄν ergo Deus est“. Deinde c. 14—15 si verba obscurissima recte perpenderis invenies talia fere: Μὴ ὄν per se incognoscibile apparet tamquam τὸ ὄν „sola sua potentia τὸ ὄν in manifestationem adduxit et genuit — Filius ergo Jesus Christus τὰ μὲν ὄντα“. At qua via quave ratione hinc definiri potest spiritus sanctus? Acute sibi consulit Victorinus c. Arium 1, 13 „Duplex potentia τοῦ λόγου (=τοῦ ὄντος) ad Deum (τὸ μὴ ὄν).

---

[1]) c. Arium 4, 23 negat se assequi velle Dei notionem „per privationem, sed per supralationem“. „Cogimur illa de Deo dicere, ut eius sit incomprehensibile et esse, vivere, intellegere, ut nec esse quidem illa videantur, quod ille supra omnia sit, quare et ἀνύπαρκτος et ἀνούσιος et ἄνους et ἄζων.

Una in manifesto: Christus in carne; alia in occulto (id est quae sensibus corporis comprehendi non potest) spiritus sanctus. In praesentia[1]) ergo cum erat λόγος h. e. Christus non poterat venire λόγος in occulto h. e. spir. sanctus. Joann. 16, 7 etenim si non discedo, paracletus non veniet ad vos. Duo ergo et isti: ex filio spiritus sanctus[2]) sicuti ex Deo filius, conrationabiliter et spir. sanctus ex patre. Quid respondisset Noster, si interrogatus esset quis fuerit λόγος antequam in carnem descenderet?

Pater merum est esse atque inactuosa actio (c. Arium 1, 13) „Filius distabit hoc, quod movetur et operatur in manifestationem, propter magnam divinitatem nobis[3]) incognoscibiliter operante patre. Supra beatitudinem[4]) est pater et idcirco ipsum requiescere (c. Arium 1, 3) — — „quod est esse pater est, quod est operari λόγος (c. 4).“ Inde rursus spir. sanctum distingit c. 13 „una motio i. e. actio agens Christus est et spiritus sanctus: et primum est vivere et ab ipso, quod est vivere, intellegere: vivere quidem Christus, intellegere spiritus.“ Et alibi (c. 12) „pater inoperans[5]) operatio, filius operans operatio, id quod est regenerare, sanctus autem spir. operans operatio in quod est regenerare; cfr. c. Arium 3, 8.

Eadem per categoriam caussae sic exprimuntur: Pater est caussa principalis sive praecaussa (c. Arium 1, 3), prima caussa omnium principiorum (c. Ar. 1, 49) Filius est principium omnium rerum et intellectibilium et sensibilium. Spiritus autem sanctus est illud agens, potentificans, principium in actione[6]).

Deinde quod ad notionem voluntatis attinet, locus idoneus est comm. ad Ephes. 1, 1 „Chr. — — voluntas dei est — — volt Chr. quae deus volt. Intellegamus igitur deum esse ipsam potentiam, magnitudinem substantiam plenitudinis totius: Christum — — dei voluntatem. Hoc si quis penitus ac diligenter attendat,

---

[1]) i. e dum est Christus in carne; eadem vox eodem sensu c. Arium 1, 39.

[2]) Etiam alibi spir. sanctus magis e filio pendet. c. Arium I, 12; 1, 8; 1, 16.

[3]) Operatur certe, quamvis homines hebetes non videant: generat filium quae est motio.

[4]) Audin' Philonem?

[5]) = non operans manifesto.

[6]) Sive, ut est in hymno III „totius existentiae demonstratio; demonstratio nunquam nisi nota demonstrat; nosse in divinis idem, quod habere est.“ (ergo spiritus habet patris substantiam, quam novit).

inveniet inseparabilia et tamen quasi separabilia — — — voluntas scit quid deus velit et cogitet etc.“ Demonstrat in sequentibus versibus filium non esse obiectum paternae voluntatis.

Ita, ut iam breviter absolvamus, trinitas divina a Victorino exprimitur per singulos modos essendi; substantiam semper eandem esse hinc facile probare potest. Utitur quoque eiusmodi similitudinibis: fons, flumen, irrigatio (hymn. III) existentia, descensio, ascensio (c. Arium 1, 51; generat. divin. 31). Mavolt igitur (c. Arium 1, 11) dicere „duo et pater et filius ex una substantia“ quam „duae personae, una substantia.“ Atque etsi ὁμοουσίαν summo ardore defendit, confitetur tamen c. Arium 1, 13 „(secundum substantiam et potestatem et dignitatem) aequalis patri, sed maior pater — — caussa est ipsi filio, ut sit, ut isto modo sit. Ad hoc autem maior, quod actio inactuosa; beatior, quo sine molestia et impassibilis,[1]) et fons omnium — requiescens, perfecta a se, nullius egens.“ Item Philipp. 3, 21 et 2, 11 „virtus illa quae dicitur pater est supra illam virtutem, quae dicitur filius.“

Restat, ut videamus quid Candido Ariano monenti generatione λόγου Christi doctrinam patris incommutatilis destrui, nam generare esse mutationem, Noster responderit in libro peculiari de generat. divina.[2]) Negat generandi actum mutationem esse, quom sit motus patris pro humana tantum capacitate quiescentis. Λόγον in principio fuisse patris elucescentiam, a notione gignendi abesse tempus (17—22); alibi (c. 26) tamen actus est: insufflavit super se deus et sic natus est filius. Heic quoque, ut alias, de „secunda persona“ dicere eum exspectamus, sed fallimur.

§ 5. Postquam quid sit trinitas per se ipsa tractavimus, vipendum, quae ratio intercedat inter divinitatem et hunc mundum. Dicendum heic de filio et spir. sancto, pater enim procul a mundo. Ne idea quidem mundi patri ascribitur disertis verbis, actus et nomen creatoris denegatur. Comm. ad Ephes. 2, 9 „ergo creator licet Deus, accipiatur sed per Christum tamen creator Deus. Creator enim non convenit Deo sed convenit Christo et per Christum Deo.“ Logos est creator „propter ipsum vivit mundus

---

[1]) Filius enim quom in hylica regione operetur, passibilis, si non est dicitur tamen.

[2]) Ariano eandem difficultatem esse, monet c. 30.

et vivet quamdiu obedierit ei" (c. Arium 1. 8). Itaque[1]) natura ipsa duce nihil sunt omnia — — fluunt et refluunt, sunt lubrica nec formam recipiunt. Sed comprehensa — nam a motu vitali et ab infinito certis lineamentis saepta sunt — et formata, specie quadam accepta ad aliquid esse promoventur, ut sentiri (cogitari) possint.[2]) Hylica ut esse videantur, facit vis potentiaque vitalis, quae defluens a λόγῳ, quem filium dicimus, per Archangelos, angelos, thronos, glorias, caeteraque quae supra mundum sunt, primo in corpora ἄυλα, naturali sua substantia munda atque puriora currit. Gradatim venit in animam, hinc in hylen; implicatur mundanis elementis et carnalibus vinculis; corruptioni et morti se miscens videndi idolum i. e. umbram faecibus materiae praestat. Ex hac igitur potentia vitali vivunt cuncta terrena — — coelestia et magis vivunt, quae ab hyle et a corporis nexibus recesserunt, ut puriores animae[3]) et throni et gloriae angeli et spiritus. — Est igitur doctrina emanantium potentiarum, qualis occurrit in multis sectis gnosticis: quo longius absit quaedam existentia a divina vita, eo magis accedere ad materiem: Quae res quom ita se habeat, quaestio quando hic visibilis mundus et terra creata sit ad Nostrum vix pertinet. Confitetur in commentariis quod confitetur ecclesia, sed me incurrere calumniatoris crimen nego quom dicam Victorinum heic aliter sensisse.

§ 6. Ut ad anthropologiam transeamus, ne heic quidem vetus testamentum sequitur. Sicut Origenes et alii, addictus erat praeexistentium animarum doctrinae. Multis locis id prodit. Comm. ad Ephes 1, 4 „ante mundum Christus et mundus factus et ante mundum animae et Dei dispositione animae in mundum venerunt vel de mundo liberantur." Facta est anima a tripotenti[4]) spiritu neque pure vox neque verbum sed sicut ἠχώ audit ut loquatur. Quae animae descenderunt neque potentias suas retinuerunt[5]), sunt in deserto hoc est in mundo; praemissae eo ad testimonium testimonii[6]): testimonium Dei Jes. Christus. Non, ut antea Origenes, animas ob culpam quandam in mundum hylicum demersas

---

[1]) Verba ipsa lege c. Arium, 4, 10—11. Haud invitus dura atque obscura verba immutavi.

[2]) Ita „in sensus certissimos promovetur" recte interpretatus mihi videor.

[3]) J. e. quae non ceciderunt? cfr. § insequentem.

[4]) c. Arium 1, 56.

[5]) ibid. 1, 59.

[6]) ibid. 1, 56.

esse censet. Imo ad Ephes. 1, 4 quaestionem volvens cur in hunc mundum venerimus, cur constitutus sit mundus respondet: ut omnia quae esse possunt, experiantur, cognoscant et sic quid eligendum sit, quid sequendum, videant et sequantur in spiritu, qui Chr. est — — vi et sua potentia animae non hoc ipsum sunt, quod spiritus; sed sunt, ut recipere spiritum possint." Hac in doctrina, animas in carnem descendere, ut victis carnalibus vitiis spiritus fiant, multus est Noster [1]); comm. in Ephes. 1, 8 „animae non in eo perseverant, ut exstiterunt atque substantiam sortitae sunt, sed Dei potentia in meliorem substantiam provehuntur: et ex animis quom animae sint spiritus fiunt.

Ergo consilium dei salutare est, ut hic mundus sit campus, ubi animae luctentur cum hylicis potestatibus. Traditur anima in carnis servitutem [2]) ut non modo in libertatem vindicetur sed etiam transformetur in spiritum. — Animae longe a dei imagine sunt (ad Ephes. 1, 6) homo non imago dei sed secundum imaginem; solus enim Jesus imago Dei, homo autem secundum imaginem h. e. imago imaginis. Nec tamen homo a Deo constitutus est ita, ut animae circumdatum sit corpus. Discernit Noster geminum νοῦν i. e. spiritum, geminam animam (c. Arium, 1, 62); Ut animali ita et homini insidet hylica anima — intellege vigorem illum vitalem animalium! — sed praeterea insufflavit Deus protoplasto omnem potentiam sensibilem, cui adest νοῦς, in discretionem sensus — i. e. virtus illa humana, quo homo semetipsum ab aliis et personis et rebus discernat! — est ille hylicus νοῦς consubstantialis hylicae materiae. Quadruplex igitur hoc loco homo: Ipsa divina anima (I) in hylico spiritu (II), hylicus spir. in hylica anima (III), hylica anima in carnali corpore (IV) [3]) cfr. comm. ad Ephes. 4, 24; 5, 30. — Quia inest homini aliquid

[1]) Philipp. 3, 21 „ut et nos spiritus simus sicut ipse spir. est." Item Ephes. 1, 4 „has Deus ante mundi constitutionem praedestinavit, ut — — depositis omnibus vitiis, quae in eas incidere possent, spiritus fierent.

[2]) Comm. ad Ephes 1, 7 „fuimus liberi ante mundum, sed mundus nos captivos fecit: natura enim tali fuimus, ut caderemus et capi possemus, sed haec captivitas ad utilitatem nostram provenit etc.

[3]) Recte nos enumerasse docet quod insequitur (1, 62) „corpus oportet purgari cum tribus omnibus, ut accipiat lumen aeternum et aeternam vitam, quod perficit fides in Christo" Item ad Ephes. 4, 9 „cum resurrectio fuerit, totus homo spiritus factus in caelum ascendet.

divini, habet quandam divinitatis scientiam [1]) sive potius sciendi facultatem. Comm. in Ephes. 1, 4 „Quom secundum intellectum potens anima sit, falli autem intellectus possit, — — si in hoc quod fallit, mentitur, decipit, animadvertat anima, cognoscat repudiet et fugiat quasi hostem et deceptorem, facile se et virtutem suam tenebit et erit — — spiritalis. Quid est autem quod faciat similitudinem intelligentiae et decipiat tamen sensum nisi in mundanis et in materie quam ὕλην Graeci vocant. — — Opera Dei et voluntate mundus factus est et omnia composita sunt in materie, quibus anima detenta cognosceret et qui sunt sensus et quantum valeant; dataque lex est et monitiones, ut cognosceretur Deus et quod Dei non est. Sed quom victae animae sensualibus potentiis nihil nisi mundum, materiam, carnem, corpus in sensu haberent et haec vera sola crederent neque idoneae essent ad vincenda et rumpenda vincula, quae animam continerent dei — voluntate, misit Christum etc.“ Per tenebras ad lucem ut transirent animae, factum est voluntate divina: nulla igitur culpa, nullum peccatum. Et Christus venit, ut doceret [2]) id quod fit per infusionem spiritus (vide infra).

Sed praeter hanc salvationem, quae est purgatio intellectus propius ad sententias biblicas accedit Noster. Invenies voces peccati et redemptionis. Atque peccatum quidem minus voluntatis errori quam carni annectit. Comm. ad Philipp. 2, 8 „peccata carnis“ ibid. 2, 27 „peccati ministerium mundus“; ibid. 3, 19, alibi. Neque aliter intellegendum ad Ephes. 1, 21 „per Christum i. e. per spiritum recreatas animas et liberatas esse, ut in suam originem reverterentur et peccata tollerentur, in quae lapsae animae fuerant. Quoniam autem homines vivere non poterant per carnis imbecillitatem etc.“ Item ad Ephes. 2, 2 „frequenter monui, mortem duplici modo accipi, unam illam notam — — aliam quom in ipso corpore constituta desideria carnis agit atque in peccatis vivit.“ Voluntatem humanam abhorrentem a praeceptis divinis nusquam inducit. De peccatorum antea commissorum pondere in sequentibus actibus hominum non cogitat —

---

[1]) Quidam loci ad Christiani cognitionem a spiritu sancto effectam pertinent v. g. de generat. div. 1; 7; 32.

[2]) Subsequuntur l. c. „ut mysterio patefacto doceret, quid pater esset — quid spiritus. quid spiritaliter vivere, quid anima sequeretur, quid esset alienum. Haec est enim virtus Christiani, discernere et separare etc.

ut omnino taceam de peccato originali. Ubi — coactus sententiis biblicis – de potestate satanae verba facit, mali naturam non in perversae voluntatis natura[1]) sed in physicis necessitatibus ponit, comm. in Ephes. 2, 2 „Spiritus satanas et eius diabolus heic substantiam de aere habet i. e. de hyle atque materia et potestatem in ipsa materia et in eos qui materialiter sentiunt". Ita quom peccatis alienati simus a deo (ad Ephes. 2, 4) materies est maceries, quae seiungat. — Tribuitur homini plenaria voluntatis libertas, ut diabolus in nullo actu quidquam valeat, nisi homo ipse occasionem admittat. Ita homo dominus voluntatis suae atque merita de bonis et poenas de malis actibus habet, cfr. comm. ad Ephes. 4, 28.

§ 7. Munus Christi salvatoris duplex: et docentis et carnis potestatem vincentis. Magnum enim hoc, inquit comm. ad Galat. 4, 4, ut non viam vivendi praestaret neque praeceptis tantummodo excitaret ad aeternitatem sed ut redimeret". Venit Christus in carne! Hoc in dogmate explicando Victorinus multum neque sine gloria desudavit; hoc est mysterium κατ'ἐξοχήν.[2]) Quod grande miraculum ut capacitati humanae subiciat, primum notionem „passionis" circumscribit; c. Arium 1, 22 sq. Λόγος, potentia procedens et simul existens cum patre facit omnia et generat et quom sit in actione, patitur, si quid patitur i. e. si actus passio dici potest. Nam quom λόγος in substantias intellectibiles, et hylicas descendat, ea actio propter imbecillitatem percipientium passibilis est vel potius passibilis dicitur (ibid. 24) Item 1, 44 passiones dicit in angelis, potentiis, thronis, dominationibus, potestatibus, animabus, sensibilibus, in carne esse nec tamen in λόγῳ, qui in illis omnibus operans sit; pergit „secundum carnem ergo salvator passus est, sec. spiritum autem, quod erat, sine passione". Qua via carnem induerit deinde c. Arium 3, 12[3]) demonstrat „λόγος spiritus, qui vita est in potestate habet et sumere animam et ponere: quom sumit, mundo

---

[1]) Satanam e bono angelo in malum conversum esse Noster vix concedit. Ita enim c. Arium 1, 53 angelos, daemonas in eodem statu dicit manere semper.

[2]) Ita appellatur innumerabilibus locis, v. g. ad Galat. 4, 4 Philipp. 2, 7 Ephes. 1, 21. c. Arium 1, 22 -24—25 etc.

[3]) Quem locum iterum infra tractabimus.

veluti nascitur et potentia eius cum mundo colloquitur; quom vero ponit, a mundo recedit et non operatur in mundo carnaliter — — hoc nos mortem eius nominamus et tunc esse dicitur in inferno non utique sine anima."[1])

Morte domini ipsa per se ullum bonum salutare generi humano comparatum esse Noster non negat, sed parum idoneis utitur elocutionibus; cfr. ad Galat. 3, 26; Ephes. 4, 32. Melius ad Phil. 2, 8 „omne mysterium non in morte — — — sed in morte crucis." Plerisque locis satis habet affirmasse morte Christi carnem atque potestatem mundi victam esse; cfr. ad Galat. 6, 14 „mysteris illo, dum carnem suspendit cruci et in ea potentiam huius mundi triumphavit, omnis mundus — — — omnis caro in illo cruci fixa est." Philipp. 3, 19 „peccatum vicit et triumphavit potestates et triumphavit per carnem cruci fixam." Item ad Philipp. 2, 10 „posteaquam in mundum i. e. ὕλην descendens ipsam ὕλην praecidit et vicit et mortem superavit, ut iam mors non dominaretur etc." Multis igitur locis Christi munus est liberatoris, v. g. ad Philipp. 2, 8 „morte crucis liberavit," item ad Ephes. 1, 21 „recreatas animas et liberatas esse, ut in suam originem reverterentur etc." cfr. ibid. 1, 4, Galat. 2, 21. Primum igitur Christus hoc effecit, ut animae fracta per mortem Christi carnis potestate admonerentur originis suae; id quod resuscitare et recreare vocat ad Ephes. 1, 21.[2])

Fit vero resuscitatio illa per infusionem spiritus. Quom enim animae per se ipsa de Deo nihil cogitent (ad Ephes. 1, 21) vivere non poterant per carnis imbecillitatem, cfr. ibid. 1, 4 cognoscunt Deum „infusa Dei voluntate per Christum" ut ait ad Ephes. 1, 8 sive „(salvator) ad se benignitate infusa et maiestate revocavit," ut est ad Philipp. 2, 5; cfr. ad Galat. 4, 4. Expergiscitur intimo in corde quaedam interior vox (Galat. 4, 4) „veluti cognatio intellegendi nos iungit et sociat Christo" (ad Ephes. 1, 4); nam inditus ille animae nostrae νοῦς πατρικός corroboratur

[1]) Ad Philipp. 2, 6 exinanitionem non in eo ponit „quod potentiam suam alibi dimiserit aut se privaverit" sed quod in hunc sordidum mundum descenderit. Humanam naturam Christi vere sibi delineare nec potest neque audet.

[2]) „Ut per eius mysterium et corporalem mortem resuscitatae ad virtutem caelestem redirent animae, simulque passus mortem et resuscitationem a patre suscipiens imaginem per mysterium praeberet animis omnibus ad resuscitationem.

per missum desuper spiritum sanctum ad figurationes intellegentiarum inscriptas ex aeterno in anima nostra restituendas (de generat. divina 1) Haec est sanctificatio, quae saepissime apud Nostrum occurrit: anima liberatur hylica potestate, vindicatur a materia in spiritualem existentiam; cfr. ad Ephes. 4, 12; Philipp. 4, 21; Ephes. 3, 10; alibi. Hac notione sanctificationis animae purgationem intellegi et hi loci allati docent et quod de Christo ipso sanctificato Victorinus censet: Quoniam in hanc tabem materiae λόγος descendit, ipse ubi ascendit, necesse habet sanctificari. Comment. ad Galat. 4., 4 „Christus et maxime post mysterium [1]) sanctificatus misit spiritum filii i. e. sp. sanctum." C. Arium 3, 12 „sanctificandum fuit — — — ivit igitur ad sp. sanctum et sanctificatus [2]) redit" — —.

Sanctificationis vox quamquam praeponderat voci iustificationis haec tamen non prorsus abest. Coactus enim sententiis biblicis confitetur (comm. ad Galat. 4, 4) „magnum autem hoc, ut non illis viam vivendi [3]) praestaret neque praeceptis tantummodo excitaret ad aeternitatem, sed ut redimeret." Quom ubi sit redemptio, fuerit peccatum, intellexit necesse esse, non solum materiae dominatio ex genere humano sed etiam culpa amoveatur. Est igitur „donare peccata" ad Ephes. 4, 32 remittere peccata, Galat. 1, 3, est vox mediatoris Galat. 3, 20, conciliatoris et propitiatoris Philipp. 3, 14 est denique iustificationis saepe. Sed actum iudicantis gratiae vel Dei vel filii frustra quaeres; coniungitur iustificatio cum liberatione (ad Galat. 3, 22) cum sanctificatione (ad Philipp. 4, 21) ita, ut dubitari vix possit, quin Victorino sanctificatio sit status iustae animae i. e. liberatae mundana labe. [4]) Congruit quod saepe iustificans inducitur nec Deus aut λόγος [5]) sed spiritus sanctus. Quom nusquam oratio sit de ira Dei aut de culpa hominis aut de voluntate humana perversa et per divinam gratiam ad melius se convertente, Noster,

---

[1]) Heic quoque, ut alibi, mysterium Christi humana conversatio Salvatoris est.

[2]) Quod passive dicitur santificatus congruit cum illo „resucitationem accipiens a patre" (ad Ephes. 1, 21). Christi enim actus pendet ex voluntate patris, qui humano tantum intellectui inoperans (silens) sit.

[3]) vivere saepe = calcato mundo spiritualiter vivere.

[4]) Ergo ad Philipp. 4, 24, hoc ordine: spiritus sanctificat, vivificat iustificat.

[5]) Propter Christum, ut est ad Philipp. 3., 14.

quod habet de remissione peccatorum etc., profert non secundum systema suum sed acquiescens verbis scripturae sacrae. Ipse munus salvatoris ponit in hyle superanda, ut animae puriores fiant i. e. spiritus. Voluntatem extrinsecus oppressam esse censet, non malam. Tacet igitur de „novo homine" etsi in commentariis ad epistulas Pauli occasio commoda oblata est. Ita factum est, ut nec vita Jesu normam moralem exprimi nobis intellexerit, nec demonstravit, quo nexu cohaereant donum salutare Christi oblatum, et humana doni apprehendendi facultas, de qua nunc disputandum est.

§ 8. Ad salutem acquirendam Christiano nihil opus esse nisi fidem Victorino persuasum est. Illud „sola fide", quod ante Augustinum Hilarius atque Ambrosiaster [1]) exhibent, Noster saepissime posuit [2]). Aliis etiam vocibus eundem sensum exprimit, sola fide iustificationem dari et sanctificationem; ita ad Galat. 3, 18 „erraverunt, inquit, qui praeter fidem quam acceperunt — -- — adiungendam etiam legem putarunt." At longe abest Noster a notione fidei Augustiniana: nihil ibi de humili in dei misericordiam confidentia, prorsus deest actio humana; non est intimi cordis assensus sed intellectus infusa divina voluntate purgati. Fidem ad cognoscendi modo actum referri probant verba comm. ad Ephes. 1, 4 „Christum credere et in Christum fidem sumere (est) iam spiritaliter sentire et iam tolli a desideriis carnalibus et materialibus: et ex hoc veluti cognatio intellegendi nos iungit et sociat Christo." Item ad Philipp. 3, 16; ad Ephes. 4, 22. Neque percutitur sententia nostra verbis comm. ad Ephes. 2, 11 „fidem in Christum habere et plenam fidem habere, nullus labor est, nulla difficultas; animi tantum voluntas est commodata et credula." Haec enim voluntas non assentitur divinae gratiae sed est affectus naturalis. Non distinguit inter voluntatem naturalem et

---

[1]) Dico illas particulas comment. in Pauli ep. ubi agitur de sola fide ad Rom. 3, 24; 4, 6; 1. Corinth. 1, 4 sicuti multas alias esse ante Augustinum conscriptas.

[2]) Galat. 2, 15; 3, 2; 3, 7. Philipp 1, 30.

[3]) Moneo in commentariis tantum, ubi res cogit, Victorinum de fide loqui.

divinitus recreatam: velle humanum per se liberum est[1]) atque si quid „pro imbecillitate carnis“ deest, accedit voluntas divina: „Ex deo enim et operationem et voluntatem habemus; ita utrumque mixtum est, ut et nos habeamus voluntatem et dei sit ipsa voluntas“ (ad Phil. 2, 13). Haec divina operatio in anima hominis eadem videtur esse atque sanctificatio (de qua vide § antecedentem). Et profecto, quemadmodum iustificatio et sanctificatio coniunguntur (Phil. 4, 8), ita etiam ad Galat. 2, 15 „ipsa, inquit, fides sola iustificationem dat et sanctificationem[2]). Quoniam sanctificatio efficitur infusione divinae voluntatis (§ 7) de notione fidei dicere licet Victorinianae, fidem esse vim per Christi mysterium in animam iniectam, qua homo non iam obnoxius mundanis potestatibus ad spiritualem vitam enitatur. Quod de fide sola saepe verba acit, suo iure loquitur. Quom enim santificatio posita sit in superanda materie, fides, quae pergat ad santificationem sufficit; opera pertinent ad statum carnalem. „Opera legis nihil aliud agunt, nisi ut carni satisfaciant, — — carni subveniant (Galat. 3, 3).“ Item ad Philipp. 3, 8 „non illam iustitiam, quae in operibus est et carnali disciplina.“[3])

Nec tamen excluduntur opera. Imo diserte loquitur (ad Galat. 3, 10) de operibus Christianitatis. Duo praecipue nominantur: mutua inter Christianos dilectio atque compati cum Christo. Hoc enim quasi pignus esse censet, nos quemadmodum Christus post passionem resurrexerit e mortuis[4]) participes futuros resurrectionis (ad Philipp. 3, 10 cfr. ad 1, 30). Et dilectionem, quam cum caritate mysterium totum Christianitatis vocat (ad Ephes. 5, 2), commune vinculum esse, quo contineatur corpus ecclesiae (ad Philipp. 2, 4). Haec fere sunt, quae Noster habet de salute acquirenda; tacet de electione atque praedestinatione. Sed facile conici potest, eum sensisse de hac ita: Omnes, quotquot naturalem hylicam labem superant, ad aeternitatem perveniunt i. e. spiritus fiunt; qui volunt,

---

[1]) Ad Ephes. 4, 27 „domini sumus nostrae voluntatis et merita de bonis bona habemus et poenas de malis actibus, quia nostro vitio fit diabolo occasio.

[2]) cfr. Galat. 3, 6 „virtutes in vobis deus operatus est et operatur, quia per auditum fidei credidistis Deo.

[3]) Huc pertinet ad Ephes. 6, 11 „sola fides munit nos, uti non valeat circa nos istarum potestatum mundi ulla tentatio. Item ad Philipp 3, 14.

[4]) tenet sensum Paulinum.

valent per spiritum infusum. Quae vero secundum Nostrum alterius partis sors futura sit, non apparet. Loquitur de interitu, de damnatione, de die iudicii (ad Ephes. 4, 30) Sed quom in homine nihil maligni reperiat nisi materiae indumentum, necesse est, manere damnatos in hoc carnis vinculo; id quod nusquam confitetur. Neque illum purgandarum animarum processum cum Origene censet perpetuum. Magnum ergo de hac quaestione silentium.

§ 9. Nam Christi ut ascensionem ita et reditum retinet C. Arium 1, 39 „si in prima praesentia triumphat inimicos in semetipso — in secunda novissimus inimicus evacuabitur mors", cfr. ibid. 3, 12. Tunc erit perfecta redemptio in die iudicii (ad Ephes. 4, 30) atque totus homo resurrectione facta spiritus factus in caelos escendet (ad Ephes. 4, 9). Quod dicit totum hominem, cogitat etiam de corpore in spiritualem habitum conformando. Quomodo id fieri possit c. Arium 1, 54 exposuit „si futurum est, nostrum corpus et carnem resurgere et induere incorruptionem et fieri spiritualis caro (sicut et salvator noster iuxta omnia et fuit et resurrexit et ascendit et futurum est, ut veniat) — — nihil impedit iuxta imaginem carnis superioris τοῦ λόγου hominem factum esse." Haec igitur caro, quae nunc et imago caelestis seu spiritualis substantiae cuiusdam, tunc in eam ipsam conformabitur. Cfr. c. Arium 1, 36.

Tunc caelestis illa hierarchia, sive ut ipse vocat, ecclesia caelestis erit perfecta. Donec enim animae hoc mundo continentur, duae ecclesiae sunt: superna et terrena et „Christus qui in caelis est et ad carnem usque descendit, utramque[1]) ecclesiam copulat et iungit: est ergo mediator (ad Galat. 3, 10). Terrenam ecclesiam appellat (ad Ephes. 1, 22) omnem animam sed salvandam. Ita Christus est caput ecclesiae, quippe per quem habeant spiritum, quo ad Dei cognitionem perveniant et (liberentur a qualitate animae i. e.) spiritus fiant. Pro hac ecclesia mundi Chr. semetipsum tradidit ut eam sanctificaret „ergo accipiamus ecclesiam omnem fidelem et omnem, qui baptisma

---

[1]) Idem valet, quom ad Galat. 3, 20 habeat „iungente Christo ea quae sunt separata et liberante partem ecclesiae, quae heic per errores mundi tenetur et revocante ad ecclesiam caelestem" etc.

[2]) Paullo ante „multi eccl. omnes animas dicunt" cogitat de generali ecclesia, infra de terrena — Rursus negative effari videtur eccles. nihil

acceptit: in fide assumitur et lavacro aquae et invocatione verbi" (ad Ephes. 5, 26—30). „Sancta igitur appellatur, quod lavacro aquae et verbo mundatur" (ibidem). Quia bis coniunxit Noster lavacrum aquae cum verbo invocationis i. e. ni fallor, dicterio Christi Matth. XXVIII, apparet minus eum in hoc sacramento operationi momentum attribuere quam mandato domini. Id ei constat baptismo non effici Christianum sed baptismum esse actum fidelis iam Christiani. Ita enim comment. ad Galat. 3, 27 „Quid est illud in Christo (filii Dei estis)? quoniam quicunque baptizatur in Christo, iam filius Dei est. Quicunque enim baptizatur, in Christum baptizatur, baptizatus induit Christum. Habet enim Christum, quicunque baptizatur, et iam est in Christo, dum habet Christum, dum habet Chr. filius Dei est, quia Chr. filius Dei est." [1]) Non multum igitur valet ille locus (c. Arium 1, 21) „secunda creatura nostra (i. e. creatio, cfr. Koffmane, kirchenlat. I p. 68) in Christo secundum baptismum;" fortasse „secundum baptismum sed in Christo" glossema e margine in textum postea fluxit.

Qui huic visibili ecclesiae in salute comparanda nullum tri buerit momentum, qui nihil habeat de potestate sacerdotum, qui hominem salvari censeat fide seu potius spiritu divino intrinsecus operante: veri simile est eum non modo baptismo sed caeteris etiam sacramentis vix eam auctoritatem impertivisse, qualem tunc ecclesia catholica. Nulla fit mentio coenae domini, nihil dictum est de exomologesi, nihil de officiis, quae Christianus praestare debeat in communione; denique, ut Noster serius ad conventicula Christiana pervenerit quam ad scientiam dogmatum, ita etiam in theologia neglexit illa capita quae sunt de ecclesia.

§ 10. Neque solum ob has caussas Victorinus in theologis inferioris notae a viris ecclesiasticis habitus est; offendicula graviora

---

esse nisi omnes animas (et in statu perfecto) spiritusve. Nam ad Ephes. 3, 10 „nam principes, inquit, et potestates in caelestibus ipsi sapientiam Dei hominibus declarant, sed per ecclesiam i. e. per eos qui membra sunt Christi sanctificatione in fide potestates et principes in caelestibus sapientiam Dei cognoscunt editam esse per hominem.

[1]) Homo quidem per adoptionem, Christus matura filius Dei, cfr. c. Arium 1, 7; 10 generat. div. 2 etc.

occurrunt.[1]) Praeter ea, quae in divinitatis notione minus catholico placent, de virgine Maria nihil satis certi habet. Nam comm. ad Galat. 4, 4 „quidam, inquit, ita dicunt: editum ex muliere, et habent ipsi propter positum a se verbum quaestionem: quom virgo Maria sit vel fuerit, quare dixerit, editum ex muliere?“ Angelus Maius festinat adnotare, „vel pro et non insolitum.“ Quod per se falsum non est; at huc vix quadrat in contextum: dixisset, quom virgo et fuerit et sit. At pergit ita „deinde ex eo quod ediderit Christum, cur non mulierem diceret? Omnis enim foemina — intellege etiam virginem — quae edit aliquid, mulier dicitur.“ Etiam illi loci c. Arium 1, 51 et 4, 32 per spiritum sanctum Maria virgine incarnatus est“ de perpetua post partum virginitate tacent.

Prorsus alienum a fide Christiana, imo paganum illud est, quod (ad Galat. 4, 3) dicit hominum sortes per astra regi, antequam essent Christiani. „Elementa mundi habent secum et motus suos et quasi quasdam ex motibus necessitates; ut in sideribus, quorum conversione hominum vita vel in necessitatem ducitur; et sic serviunt elementis homines, ut astra iusserint, ut mundi cursus imperaverit: quibus omnibus solvitur, quisquis in Chr. fidem habens dominum vitae suae a Chr. spiritum acceperit, ut omnem mundi necessitatem elementique vim fugiat et vitet etc.“ Haec eius temporis communis fuit opinio, ut docemur a. L. Ampelio, Firmico Materno utroque, libris Hermeticis, aliis. — Etiam illud quod de tribus coelis (ad Ephes. 4, 10) perhibet etsi e Pauli verbis demonstrare studet, inscius ipse fortasse traxit e pagana doctrina. At immerito A. Maius millenarorium placitum subesse odoratur, quom Noster (ad Galat. 4, 26) dicat „intellegi licet et heic terram et ibi terram supra caelos;“ subsequuntur enim ‚moneo — — illam esse spiritalem, quae supra est.“ Caeterum quantum distat Victorinus a carnali, ut ita dicam, doctrina Chiliastarum!

---

[1]) Huc vix pertinere mihi videntur quae de prae existerti anima Noster habet. De hac enim doctrina ante Hieronymi atque Augustini tempora nihil erat definitum in occidente.

CAP. IV.

De fundamentis theologiae Victorinianae.

Quae modo disseruimus de paganiis in systemate Nostri occurrentibus, iam eam volvunt quaestionem, quid mutuatus sit a philosophis, quid a theologis quid ex communi tunc vigente sensu, religioso gentilium. Hoc enim summo opere monendum est, ne quis putet omnium sententiarum fontem derivandum esse ex certorum auctorum usu et cognitione. Quae habet ad Justinum Manich. c. 15, „daemon autem nunc bonus nunc malus angelica creatura consistit, sicuti docet Attici oris expressio dicentis „ἀγαθὸς δαίμων, κακὸς δαίμων" et Galat. 4, 9 „deinde quosdam daemones aerios vocant, rursus alii empyrios, alii enydros alii geios",[1]) e volgari opinione magis quam e librisnovisse mihi videtur. Illas quoque duas contrarias res, materiem hylicam impuram fugiendam et spiritualem habitum appetendum non modo in scholis (Neoplatonicorum) sed in volgi ore reperire potuit sicut docent tituli sepulcrales illius temporis. Item quae de sideribus sortes humanas regentibus profert, volgaris fuit existimatio. Eadem Christianismi et paganitatis commixtio in vulgari religione posita occurrit in carmine Endeleichi ap. Riese, anthol. Lat. II pag. 314 item carmine de Phoenice etc.

§ 2. Philosophos celebres non dubium est quin Noster noverit omnes; nec tamen cuiusquam nomen laudatur nisi Platonis (c. Arium 4, 5).[2]) Sententias Neoplatonicorum, Philonis, Aristotelis ita miscuit atque ad suum indicium conformavit, ut singulas ad propriam sedem originemque reducere perdifficile sit. Sed quid pro mea exigua scientia expiscatus sim, heic non tacebo.

Saepius sequi mihi videtur Neoplatonicos, quorum scripta aliquot, ut supra commemoravimus in linguam verterat Latinam. Philoni principium fuit τὸ ὄν, Plotino illud supremum ἐπέκεινα

---

[1]) Ita lege, non genios, ut A. Maius; sequitur enim terrenos, aerios, aquaticos, ignitos.

[2]) „Deus primo universalium existentias substantiasque progenuit; has Plato ideas vocat, cunctarum in existentibus specierum species principales." Distinguuntur philosophi et „docti ad legem viri" i. e. theologi, c. Arium 4, 18.

τῆς οὐσίας: Noster diserte de generat. div. 13 τὸ μὴ ὄν Deumf dicit. Apud Platonem (atque Philonem) idea boni supra ideam existentiae posita erat; Neoplatonici timidioribus verbis τὸ ὄν[1]) supra existentiam ducunt: Noster non dubitat Dei substantiam quasi ὑπερούσιον nominare, ἀνούσιον audet c. Arium 4, 23. Item si pro voce νοῦ posueris λόγου quanta similitudo inter Plotin. ennead V, 1, 6—7 et quae Victorinus de filio tamquam imagine patris et de eius progressione et ascensione[2]) praedicat. Via eadem: uterque a deo invisibili, inoperanti venit usque ad ὕλην: ideae cuiuscumque rei eisdem verbis describuntur, ut illa existentialitas, vitalitas, intelligentitas, substantialitas etc. = ὀντότης, ζωότης, οὐσιότης etc.[3]) Quod exhibet Plotinus ennead. V, 1, 7 ψυχὴν γεννᾷ ὁ λόγος saepissime Noster decantat.[4]) Apud Nostrum quoque (generat. divina 1 etc.) animis innatae, imo „inscriptae ex aeterno figurationes intellegentiarum apparent, i. e. animae nostrae inditus νοῦς ἠθικός. Item, quod in λόγῳ omnium rerum ideae (at dicit noster et potentias et substantias) cohibeantur; quod materia sit μὴ ὄν; quod materia sit sedes malorum; quod animae debeant superare hanc hylicam materiam, quae circumclusi teneantur, quod minus per actum quam cognitionem veniatur ad divinitatem. Denique etiam apud Nostrum vestigia illius sententiae inveniuntur, secundum quam anima per quandam exstasin ad divinitatem pergat.

Quod qualiave scripta Neoplatonica Noster secutus sit, non iam indagare licet: insipidum asseclam atque pedisequom fuisse eum negamus. Quom illos libros philosophicos, quorum meminit Augustinus,[5]) adhuc gentilis scripserit, quomque in illis etiam de λόγῳ divino eo sensu disseruerit, ut Christianae religioni appropinquare visus sit, illum νοῦν universalem Neoplatonicorum iam tunc Christianae theologiae similem conformavit. Quod ut faceret,

---

[1]) In quo notio boni paene evanuit.

[2]) De generat. divina 31; c. Arium 1, 51 (descensio est vita, ascensio sapientia); ibid. 1, 26.

[3]) cfr. c. Arium 1, 50; 3, 7; 3, 12. Quae heic occurrit vox ζωηρίς etsi apud profanos scriptores vix inveniatur, tamen ni fallor in scholis Neoplatonicis usitata erat.

[4]) Ad haec et inseq. cfr. singulas § cap. III, ne eadem exscribere cogar.

[5]) Confess. VIII, 2 „in istis autem (libris) omnibus modis insinuari Deum et eius Verbum.

fortasse libris eiusmodi motus est qui philosophiam cum theologia — non religione — Christiana reconciliare studerent, quales fuerunt Sexti sententiae et libri Hermetici [1]) posteriores, qui etiam Lactantium non paullulum permoverunt. Sed magis quam libris tota illius aetatis indole perductus est eo, ut Platonicus christianizaret. Idem vero post baptismum acceptum, quem penitus imbiberat Neoplatonismum etiam invitus retinuit: Christianus factus est Platonizans magis, quam illis temporibus orthodoxum decuit.

Nec tamen merus Platonicus est: sapit Aristotelismum non uno loco. Iam supra suspicabar, etiam Stagiritae quaedam opera logica in scholis a Victorino tractata esse secundum illius praecepta. Quae opinio non fallit: multa et in commentariis et alibi occurrunt definitiones atque syllogismi quorum origo retrahenda videatur ab Aristotele.[2]) Ita de Nostro dici licet, quod de Synesio protulit Ueberweg,[3]) momentum Aristotelicum apparere magis in forma quam in materie philosophandi. Eodem modo tum apud occidentalis praecipue logicorum librorum praestantia summam auctoritatem Aristoteles nanctus est; denique, ut docent qui post Boethium [4]) fuerunt una cum ratione philosophandi etiam singula placita Aristotelica irrepserunt. Agmen ducit Victorinus.

Nam sicut Aristoteles nusquam substantiam Noster esse arbritatur nisi in singulari existentia; sicut Stagirita rebus inesse cognovit et δύναμιν = potentiam et ἐνέργειαν = actum. C. Arium 4, 22 „diximus confici ab actu potentiam[5]): sic enim se prima habent, ut quom sint omnia a divina energia i. e. actus et operationes, necessarium et (sic!) ut a Deo principio omnium potentiarum universaliter uniuersalium fons et origo nascatur. Iste namque rerum progressus est, ut quom omnia a Deo, potentiae et actus, a Deo qui supra potentias et actus accipitur,

[1]) Hermetis Trismegisti Poemander ed. Parthey, Berolini 1854. Huius capita I. IV. XIII non ignorant Christianismum neque absunt a placitis Neoplatonicis. In occidente vero volgatos esse libros Hermeticos Lactantius, Philaster, Hieronimus demonstrant.

[2]) Vide c. Arium 1, 20; 30. generat. div. 9—11; 30. Fact. est vespere c. 2 etc.

[3]) Histor. philos. ed. quart. II p 98 § 17.

[4]) De Boethii studiis Aristotelicis vide Prantl, hist. logices atque antiquiorum dissertat. apud Migne, patrolog. lat. vol. 64.

[5]) J. e. ni fallor. per actum esse potentiale fit reale: ita verbo confi ciendi ἐντελέχεια illa exprimitur.

orta haec esse credantur." Neque multum in eo recedit, quod ἐνεργείας omnes ab illa principali ἐνεργείᾳ nempe filio profectas esse credat, sedem vero potentiarum ponat in patre ipso. C. Arium 1, 25 „Jesus et λόγος et semen est et velut elementum omnium quae sunt, maxime autem iam in ἐνεργείᾳ et manifestatione eorum quae sunt, quod in eo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, h. e. in operatione substantialiter; in patre enim potentialiter omnia inhabitant." Nec lux affulget nisi ex Aristotelis metaphys. VII, 7; VIII, 2 etc. illi perobscurae periodo (c. Arium 2, 4 ubi „quid sit illud esse" = τὸ τί ἦν εἶναι Aristotelis) „omnis ὕπαρξιν habet, quod est esse; quod autem est esse, non continuo καὶ ὕπαρξις est; neque ὄν nisi potentialiter non in manifesto, ut ὄν dicatur — — — — forma intellectum ingenerat, manifeste pronunciat, aliud esse formam, aliud, quod formatum est. Quod autem formatum est, hoc est esse; forma est, quae intellegi facit illud, quod est esse." Quom Stagirita distinguat inter ὕλην, μορφήν, τὴν ἐκ τούτων οὐσίαν, Noster de generat. divina 10 singulas excogitat definitiones. „In anima dico [1]) ὕλην quidquid sine intellectuali anima est circumlato (latiore) sensu." „Subiectum, quae ὕλη dicitur indeterminatum est — — si determinatur, qualitas dicitur." Efficiuntur a Nostro IV genera: I. quae vere sunt II. quae sunt (uti anima quom pura per se ipsa sit) III. quae non vere non sunt (ut anima mixta cum hyle) IV. quae non sunt, sicuti ὕλη „sola enim ὕλη omnium quae non sunt nutrix est — — — sine anima, effeta et densa facta in aeternum[2]) manet. animationem ab anima habens." Item ibidem cap. 14—17 Aristotelismum produnt; nec minus c. 20 a verbis „in eo quod est esse inest et operari" usque ad „esse pater est, operari filius." In hymno tertio (pag. 1145 Migne) talis occurrirt ratiocinatio: Substantia Deus est. forma filius, notio spiritus; sequitur si spiritus notio est „omnis notio formae et substantiae notio est." Cognoscit igitur spir. Deum et habet

---

[1]) Stoici notari videntur „dicunt quidam, quod anima hyle est, quod subiectum et qualitas eadem sit substantia, eademque sit substantia et anima et hyle."

[2]) Ecce materia aeterna, certe quod ad interitum spectat! Heic magis tenet Aristolelismum quam Christianismum. Caeterum cfr. c. Arium 4, 8 „actus in creandis saeculis infinitus." At quaeritur, num de creata materie Noster heic cogitaverit.

formam i. e. filium — — o beata trinitas. In creaturae expositione c. Arium 1, 36 postquam demonstrativit, a λόγῳ angelis, thronis, gloriis, vitam datam esse subnectit „et rursus, quod non esset vivefacere nisi esset materia ad potentiam vivefaciendi, effecta est materia mortua naturae, quae vivefacta emisit etc. Etiam in hominis natura quadripertita multa momenta Aristotelea apparent; praecisius enim inter se distinguuntur νοῦς et anima.[1]) Omitto alios locos ubi, quem sequatur, minus perspicuum est. Meram enim uniuscuiusque philosophi sententiam ut alii eius aetatis homines ita et Noster servare non potuit. Denique ut paucis absolvamus, Victorinus fuit philosophus in forma philosophandi Aristotelem, in sententis ipsis et Platonicos et Aristoelico s sequens.

§ 3. Theologos antiquiores Noster haud multos novit. Quae enim cum Justino martyre, quae cum Clemente Alexandrino habet communia, vix inde sumpsit: idem omnibus fluebat fons.[2]) At Origenis scripta manibus versavit; minus tamen exegetica quam hetica. Si quis enim commentarios perlustrans Victorini Origenis exegeses quaerat frustra quaeret. Etsi ex catenis modo atque Hieronymo[3]) de Adamantii commentariis divinari licet, id constat Nostrum magna propriae exegeseos laude dignum esse; caeterum aliorum, praesertim contrarias opiniones proferre aspernatur. Perraro igitur Victorinum invenies cum Origene consentientem, ut ad Ephes. 1, 5[4]); ad Ephes. 4, 27 (Orig. princip. III, 2, 4 pag. 315).

At quod attinet ad res dogmaticas tanta est inter utrumque similitudo, ut vix hinc inde a philosophis mutuatus sit Victorinus; imo pleraque hausit ex Origene. Inde fluxit sententia praeexistentis animae, huius visibilis materiae tamquam densae factae, item quae Noster habet de filio tamquam imagine patris et de homine tamquam imagine imaginis (i. e. Filii), de anima post mortem

---

1 Imprimis c. Arium 1, 62 cfr. supra pag. 17. Haud scio, an generat. divina 7—8 ad Aristotelem respiciat Noster. at ibid. c. 1 loquitur Platonicus.

2) Praecipue Philo, qui in occidente celeberrimus erat.

3) Qui quidem ex Origene maximam partem pendet.

4) Ubi Origenis certus locus non additur, vide catenas. Operum tomos paginasve sec. edit. Lommatzsch.

spiritualem in habitum transitura,[1]) de ecclesia caelesti et terrena etc. Tertullianum non novit, quantum ego sciam; neque Lactantii Christiana scripta.[2]) De doctrina Patripassianorum, quos interdum commemorat (c. Arium 1, 41—44 etc.) non satis certam peritiam prodit. Alias vero haereses diligenter perspexit. Manichaeorum libros aliquot legit, quom eius doctrinae proprias quasdam voces afferat. Arianorum libros novit complures neque fando audivit Lucianistas, Eusebianos, Marcellum, Photinum, Valentem, Ursacium, Basilium (c. Arium 1, 28; 41; 43; 44; 45 etc.) Atque Homousiastarum libros et acta perlustrasse existimandus est, ex libr. c. Arium 1, 34 (citatur Alexander, Athanasii antecessor) 1, 48; 2, 9; 1, 28. Nec tamen unquam Athanasium neque usquam eius libros nominat. Verum etiam apud alios patres occidentales, qui pro fide Nicaena pugnarunt, illius πρωταγωνιστοῦ libri non pro opinone aestimati sunt exceptis Hilario atque Lucifero Calaritano. Quod aliorum quoque orthodoxorum libros nobis noti sunt, quos nec laudatos neque adhibitos inveniamus, confiteri cogimur Nostri opera dogmatica ex nullo theologo pendere sed proprium ingenii Victoriniani foetum esse. In commentariis autem etsi diversae sententiae interdum commemorantur[3]) praeter unum Origenem neminem exegetarum sive tractatorum videtur consuluisse, caeteri occidentales longe aliter fecerunt.

Fuit ergo theologus satis in biblicis studiis versatus, minus in scriptis ecclesiasticis, ita tamen etiam aliis theologis operam dedit, ut Hieronymus iniuste censuerit prorsus eum sacras res prae saecularibus neglexisse.

CAP. V.

Quatenus theologis posterioribus Victorinus innotuerit.

Immeritam in oblivionem Nostri opera theologica mox demersa sunt; at cur factum sit, caussae suppetunt. Obscura oratio

[1]) Doctrinam voluntatis humanae liberae nolui afferre, quia permultis patribus communis fuit existimatio.

[2]) grammaticum citat grammaticus, cfr. supra pag. 2 not. 7.

[3]) ad Galat. 4, 4; proem. comm. ad Galat.; Philipp. 3, 19; Ephes. 4, 10 etc.

multos a legendo deterruit quomque libri ut ait Hieronymus[1]) nisi a viris eruditis non intellegerentur, ne ab eruditis quidem quaesiti sunt. Et commentarii quidem etsi inter occidentales maxime propriam sententiae indagandae facultatem produnt, insequentibus centonibus sive catenis obliterati sunt. Contra Arianos vero Manichaeosque satisfecerunt alii nitidioris stili scriptores. Atque trinitatis dogma iisdem atque Noster fulcire argumentis theologi non conati sunt; praeexistentis animae doctrina etiam in occidente obsolevit saeculo IV exeunte; in controversia de libero arbitrio atque gratia neutra pars ad Nostrum provocare potuit.

Noli igitur mirari in Romana urbe ipsa Victorini scripta mox neglecta iacuisse. In illo opusculo, quod inter Augustini volumina edi solet[2]) „quaestionum veteris et novi testamenti" neque in exegeticis neque dogmaticis disceptationibus unquam Victorini ratio habita est, quamquam si non omnes aliquot tamen opusculi quaestiones Romae[3]) ante annum quadringentesimum[4]) compositae sunt.

Ambrosiastri qui dicitur commentarius[5]) in epistulas Paulinas Victorini notitiam sapere mihi videtur. Sed textus volgati tanta diversitas, ut priusquam editio critica[6]) quae nunc Mediolani sub prelo est, lucem viderit, certi quidquam statuere non ausim. Satis erit monuisse, Victorinum qui occurrit ad Rom. 5, 14 Afrum nostrum a me intellegi; consentire verba, numquam tamen eadem esse, consentire textum quoque biblicum ad Galat. 1, 2; 2, 5; 2, 13; ad Ephes. 5, 14.[7])

---

1) de vir. inlustr. 101; cfr. prolog. in comment. Hieronym. ad Galat.

2) Augustini op. ed. Maurina tom. III. 2 appendix.

3) Vide quaest. 101 (de iactantia Romanorum levitarum = diaconorum) 115 (heic in urbe Roma) minime 84

4) Quaest. 44.

5) Partes commentar. esse summae antiquitatis nunc omnes consentiunt cir. Herzog, encycl theol. I p. 330.

6) Collatio codicis Casinatis haud spernendae auctoritatis prostat in biblioth. Casinate nuperrime edita.

7) Symmachiani quales in prologo commentarii ad Galat. occurrunt apud Victorinum et Ambrosiastrum longe diersi ab haereseologorum (Philastr. 63). Ita Philastro Victorini opera nota fuivsse non videntur: equidem aliquando suspicabar haeres. 99 Nostrum notatum esse ubi „philosophorum inani sententia asserentes" inducuntur, animam humanam antea non animam sed intellectum vocitatam esse.

Ambrosius ipse, etsi familiariter Simpliciano illo, quocum Victorinus consuetudinem habebat, utebatur, libros Nostri cognitos habuisse vix videtur. Nam quae in libro de fide Victorino consona repperi, (verb. gr. III, 15, 123—128) ex eodem fonte utrique fluere potuerunt.

Augustinus qui tam uber est in narranda conversione Victorini libros Christianos non recenset. Quamvis alia notio sit Victoriniani illius „fide sola" alia Augustini, tamen si novisset inter testes antiquiores Afrum enumeravisset. Item confess. XII-XIII in geneseos primo capite explicando de Nostro silet.

Hieronymus vero ut est multae lectionis vir duobus praecipue locis Nostri mentionem fecit. Libros c. Arium in catalogo c. 101 perobscuros esse iudicat et de commentariis graviorem sententiam fert in prologo ad commentarium in ep. ad Galatas. Jam supra monuimus iniuste Hieronymum heic queri „quod ille occupatus eruditione saecularium literarum omnino sanctas ignoraverit." Sed etiam singulares sententias exegeticas Afri invido respicit oculo: nusquam praeter illum unum locum nomen Victorini apellat, sed notat saepe eius exegeses annexa vituperatione. Ita ad Galat. 2, 5 et ad 5, 8 ubi inter „simpliciores" qui „non" abstulerint, est Victorinus. Cfr. Galat. 6, 11 ubi Noster quoque πηλίκοις vertit „quantis".

Insequentium saeculorum occidentales Victorinum theologum non iam commemorant praeter unum Cassiodorium, qui in instit. divina ita de eo loquitur, ut valde dubitari possit, num ullum librum Victorinianum legerit. Delituerunt deinde per tot saecula in bibliothecis opera auctoris, qui apud recentiores quoque theologos haud multos curiosos lectores nanctus est.

Nobis peculiari dissertatione non indignus visus est, quippe qui post Tertullianum ante Augustinum maxime inter occidentales Christianae religionis indolem et pondus examinavit; non dolendum est, quod prae illo lucente ingenio evanuit, at laudem ferre debet certe dignam memoria.

Appendix.

Quom a. 1875 Hueckstaedt[1]) carmen illud c. Marcionem, quod suo iure critici omnes Tertulliani esse negant, Victorino Afro vindicare ausus sit,[2]) ne quis huic opinioni hominis bene meriti iisdem verbis me obsistere velle suspicetur, quibus supra pag. 8 not. 4 contra Miraeum usus sum, Hueckstaedtii caussas explodere nunc in animo mihi est.

Quod verbis[3]) illius auctoris incerti de XII. scriptoribus eccles. Hueckstaedt commotus auctorem c. Manichaeos et adv. Marcionistas eundem esse censet, recte indicat. Sed auctor c. Manichaeos Victorinus Afer esse non potest: non versibus sed oratione soluta Noster c. Manichaeos scripsit, ille auctor incertus utrumque contra Manichaeos et c. Marcion. versibus composuit. Deinde etsi Hueckstaedt ut carminis c. Marc. auctorem ita etiam Victorinum Afrum Nicaenae fidei addictum esse probat, inter utriusque doctrinam haud leve discrimen est: I. Auctor carminis (II, 116 „corpore homo", I, 100; aliis locis, quos Hueckst. affert) humanam animam Christo non attribuit; attribuit Victorinus c. Arium 3,12 et 3,15 ubi primo „vita" est pro „anima", sed deinde „eundum fuit ad patrem corporaliter et animaliter." II. Ille poeta Christi munus salutiferum positum esse arbitratur in proculcato atque devicto diabolo[4]), Afer noster in seperanda materie. III. Victorinus vix dicere potuit, quae sunt carm. adv. Marc. V, 22 „ patris sub imagine virtus" nam secundum illius[5]) dogma Filius est imago patris invisibilis atque „inoperantis." IV. Corporis resurrectio qualis describitur carmine I, 210—242

---

[1]) Dissertat. inaug. de carmine adv. Marcionem, quod dicitur esse Tertulliani. Lipsiae.

[2]) L. l. pag. 55 sq.

[3]) quae pag. 8 not. 4 attuli.

[4]) Carm. adv. Marc. 2, 55—56; 3, 275.

[5]) Vide praecipue quae exposuerit c. Arium 1, 19.

et V, 100 minus consonat cum Victorinanis placitis. V. Concedimus[1]), auctori carminis epistulam ad Hebraeos scriptam cognitam fuisse nec tamen Pauli visam esse. Victorinus vero disertis verbis c. Arium 2, 3 „Lectum, inquit, apud Paulum ad Hebraeos de Christo."

Caeterum si Victorinus auctor huius carminis esset, cur non mentionem opusculi fecit in aliis libris quippe qui proprios citare gaudeat. Accedit, quo deius rei occasio interdum obveniat, quom Marcionitae interdum commemorentur. At Noster ecclesiasticis muneribus non functus certo supersedit contra conventiculum[2]) Marcionitarum, quod fuit Romae, quidquam conscribere.

Quae cum ita se habeant, carmen Nostro abiudicandum censemus. Cuiusnam sit, disquirere non huius opusculi est; monemus, Hilgenfeldio hoc carmen centum annis antiquius esse arbitrato (annal. theolog. scient. 1876, I) nos suffragari non potuisse.

---

[1]) cfr. Hueckstaedt l. l. p. 44 sq.

[2]) Nam contra singulare conventiculum Marcion. carmen editum esse, Hueckst. evicit.

Bertholdus Gustavus Koffmane

de vita sua.

Natus sum a. d. XI Kal. Aug. a. p. Chr. n. MDCCCLII Berolstadii, circa cuius urbis pomoerium Ernestus pater paterna rura bobus exercebat suis. Matrem Elisabet e gente Heinzelmann abhinc V annis ereptam maereo. Ex IV fratrum numero minimus natu etsi ob corpus tunc infirmum sero ad elementa literarum accessi, mox suggerentibus ludi magistris ad Latina, deinde annos natus XIII ad Graeca arva adductus sum a reverend. *Strauss*, pastore urbis primario. A. saec. LXVI gymnasii Olsuensis, quod rectoribus *Silber*, *Hess*, *Abicht*, florere vidimus, classes persolvere coepi; absolvi examen maturitatis mense Martio a. s. LXXIII operam daturus theologiae et philologiae.

At arctiori me astrinxit vinculo theologia, cuius studiosorum in ordinem univers. Viadrinae receptus sum a viro doct. doct. *Raebiger*, t. dec. Scholas et privatas et publicas adii doct. *Gess*, *Hahn*, *Meuss*, *Raebiger*, *Reuter*, *Schultz* nec non privatim docentium *Rhode*, *Tschackert*, *Lemme*. In convictum illum comitis illustr. de *Sedlnitzky*, curante viro benevol. *Meuss*, receptus amicum erga me animum Lic. theol. *Weber* detexi. E disciplinis theol. adamavi praecipue historicam *Reutero* egregio duce. Quom venerab. ordo noster de notione voculae chocmah disquiri iussisset proposito praemio, a. saec. LXXV satisfeci. Quo facto castra alia commilitonesque alii me vocarunt: militavi — nec stipendia merui nec honores — in undecumanorum centuria III. Studia attenuata sunt non interrupta. His atque insequentibus semenstribus systematicae disciplinae me tenuerunt gliscente ardore historicae. Deinde ex autumno a. s. LXXVI apud comitem illustr. de Stosch dioeces. Gruenberg pueros rexi. Quo tempore tam gratae memoriae elapso redii Vratislaviam ultimas curas adhibiturus operi „de latinitate eccles.“ cuius fascic. I hoc anno publici iuris feci. Nunc vero laetum exoptatumque subeo officium grates agendi omnibus quos supra nominavi viris nec minus clarissimo *Weingarten*, qui ut antecessor *Reuter*, benignum animum erga me praebuit fautoris, magistri, patroni.

THESES.

I. Ab encyclopaedia theologica removendam esse methodologiam.

II. Ps. VIII, 9 עֹבֵר non ad animalia maritima pertinet sed ad hominem, v. 7.

III. Luc. 11, 49 et 7, 35 σοφίας vox non a Domino sed ab auctore antiquissimae narrationis posita est.

IV. Luc. 9, 51—18, 14 non ex uno fonte in evgl. Lucae manasse.

V. Epistulae Barnabae cap. 18—21 spuria esse.

VI. Quod Dorner (glaubensl. I, § 30—33) trinitatis dogma ante christologiam tractavit, contra doctrinae suae fundamenta fecit (v. ibid. § 2—14).

VII. In hymnario Silesiaco nuperrime edito (praeter multos iaudis titulos) theologus inveniet versus inutiliter mutatos: 427, 7, 3; 434, 8, 3; 432, 1, 9—10; ob caussas dogmaticas infeliciter vexatos: 434, 7, 6 (contra 375, 5, 1) 235, 2, 5; pingui Minerva ob rythmum, assonantiam, linguam obsoletam depravatos: nro 51, 4, 3; 427 (metrum stroph. 1 et 3) 429, 5, 2; integros vero, ub corrigendum fuit, ut. 5, 2, 3; 392, 3, 2 etc.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

BR 1720 V47K6
Koffmane, Gustav
De Mario Victorino
philosopho christiano

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 11 01 08 09 014 5